



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmma Practica Theologiae Mysticae

Gelen, Victor

Coloniae Agrippinae, 1652

Articulus Primus. Propria operatio quamdiu in medio transformationis
descendentis versatur est secessus mystici viuacitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9766

ET SECUNDO

DE IIS QUÆ FIUNT IN MEDIO
TRANSFORMATIONIS MODI DESCENDENTIS.

PARAPHRASIS VNDECIMA.

Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi a spiritus hominis, qui in ipso est. ac si diceret, donum sapientiæ in suo summo tam excessiue spiritum tuum illustrabat, & amoris actionibus extra statum suum dimouebat; vt quodammodò tui iuris non esses, & ea, quæ spiritus tui erant, ignorares: iam verò in media regione, conformiter ad spiritum, qui in te est, suauitatem spiritus diuini experieris, pro vt in sequentibus dicitur.

- I. *Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendenti versatur, est secessus mystici viuacitas.*
- II. *Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.*
- III. *Lumine Transformationis temperato, viuacitas proprii spiritus redit & clara visionis similitudinem in se exprimit.*
- IV. *Quantò magis ad mediam regionem descendit; tantò altius regionem spiritus diuini supra se habet.*
- V. *Adæquatis operationibus intellectus & voluntatis, vsque ad inferiorem regionem descendit.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Propria operatio quamdiu in medio Transformationis descendenti versatur, est secessus mystici viuacitas.

Viderunt b sub pedibus Dei Israel, quasi opus lapidis saphirini, & quasi calum, cum serenū est. ac si diceret, o pia anima, sicut mediæ huius regio-

nis situs, à supremo alius est, ita quoq; aliam habitationem constituit. quemadmodum qui prius in alto erat, cum ad medium descenderit, ille quidem respectu inferiorum adhuc in summo, respectu superiorum autem, in infimo est: supremum enim infimi, infimum duntaxat est supremi. & ideò sub pedibus Dei Israel visio apparebat,

opus-

a 2 Cor. 2. b Exo. 24.

opusque illud pretiosum, & aspectu delectabile lapidis saphirini; qui lapis colore aureis punctis relucet, & operationes mysticæ Transformationis, tanquam stellas scintillantes producit: cum eo tamen, ut ordinarium lumen, & bene-afficientia sit ad instar cœli, cum serenum est, & oculis longè gratius, quam intensus sol lucidissimis radijs splendens lumen suum visui non contemperabat. hinc, & violentiam quandam patiebatur, dum in summo Transformationis versarerer, & amoris vehementia extra statum suum dimouebatur: iam verò sereno intellectuali cœlo, & suavi mentis excessu, toto eo tempore, quo in medio huius Transformationis degit, supereminentem illam charitatem Dei digerit, & inescat; semper plena realitate sese descensui conformando, & in secessu mystico, siue intimissima tranquillitate, admodum vicinè diuinam bonitatem penetrando, ita ut in omnibus existentibus, nil nisi prout in summo Bonò existunt; eiusque imagines, seu particulæ quædam sunt, intueatur: idque secundum optimum modum operandi in hac vita, per quem in actus exercitio scit, quæ à Deo donata sunt sibi; sicut Beati in cœlo simultanéè intelligunt se beatos esse. Prout magis articulatè in sequentibus dicemus;

a Sap. cap. 8.

Proprius spiritus à captiuitate diuina absoluitur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Intrans in domum meam; conuiescā cum a illa (sc. sapientia;) non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius, sed letitiam, & gaudium. ac si diceret: ô pia anima, licet paulatim à forti illo tractu, ceu à diuina captiuitate absoluaris, & in spiritu proprio viuacitatem tibi magis proportionatam experiaris; non ideò tamen ab eminèti charitatis vitali vsu cessas, ita ut interruptio fruitionis diuinæ contingat; sed à supersplendenti lumine recedens, in domum spiritus tui intras, ibique habitas cum sapida illa in Deo bene-afficientia. quæ cum totam tuam capacitatem, seu velle, & posse impleat, non habet amaritudinem conuersatio illius, nec tedium conuictus illius; sed huic regioni, & situi mentali conformem, & plenam lætitiā, ac gaudium in adæquato actu intellectus, & voluntatis; ceu in æquilibrio, & linea recta, quo ita libero, ac soluto animo iungaris ei, qui lumen suæ supersplendentis Deitatis visui tuo contemperat.

Et per hæc quidem omnia, ut præambula; perfectè tamen disponentia, in exercitio actus transeundum erit, absque conamine tam altè transcendendo, sicut fiebat cum adhuc in summo spiritu diuini versareris: dein aspectus

h h

spi